



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Tractatus De Schismate**

**Longueval, Jacques**

**Lovanii, [1718]**

§. II. Censura cleri Gallicani contra librum cui titulus: Libertates Ecclesiæ Gallicanæ.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-64915](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-64915)

*Nationibus venerabilem : in qua Sede prædicatur fides , & unitas conservatur.*

Prætenſi illi Libertatum Gallicanarum patroni, Pontifici ſemper contrarii, teſte Cardinale de Rochefoucault prætendunt, Catholicos ſe eſſe, non Romanos, ſed Gallos, eâdem abſurditate ac ſi dicerent, univerſales ſe eſſe, ſed ſingulares. Ad mali hujus venenum detegendum, inſpicere duntaxat opus eſt cenſuram Cleri contra librum de Libertatibus latam.

## §. II.

*Cenſura Cleri Gallicani contra librum  
cui titulus : Libertates Eccleſiæ  
Gallicanæ.*

Quamprimum liber ille lucem aſpexit, quotquot tum temporis Pariſiis verſabantur Epifcopi, apud Cardinalem de Rochefoucault convenerunt, & ad omnes Galliarum Prælatos ſequentem miſerunt Epifto- lam, quâ eis notam facerent latam contra hoc opus Cenſuram.

*In hac regni Metropoli, abſque nomine auctoris & authentico privilegio recens impreſſa ſunt volumina duo, quorum prioris titulus eſt : De juribus & Libertatibus Eccleſiæ Gallicanæ 1639. Poſterioris : Probationes Libertatum Eccleſiæ Gallicanæ 1639. Libri hi non per veſtras ſolum Diœceſes, ſed per exterâs quoque nationes ſpar- gentur. Dæmon enim, hæreſum atque hujusmodi librorum auctor & artifex, has facies non niſi ad ſpargendum incendium excitat... Quantum dulcis & amabilis eſt iſtorum librorum titulus, tantum ſub eo latet veneni mortiferi. Itaque infelix  
hic*

hic compilator, quicumque sit, eos est imitatus, qui toxicum, ne respuatur, sub melle occultant. Nemo Christianam fidem, Ecclesiam Catholicam, Ecclesiasticam disciplinam, Regisque ac regni incolumitatem impugnavit doctrinâ periculosiori quàm lateat sub hoc titulo specioso. Sanè compilator hic more Hæreticorum & Schismaticorum bonas malis miscuit, & tot falsis, quas detestamur, & hæreticis Libertatibus vera quadam Regis jura, & privilegia Ecclesiæ Gallicanæ inseruit.... Notum vobis facimus, publico nos judicio declarasse, utrumque volumen singulis ferè lineis perniciosum esse, ubique Hæreticum, Schismaticum, impium, verbo Dei contrarium, &c. 9. Febr. 1639. Privatum Regis Concilium eundem librum suppressit.

Itaque inter libertates Gallicanas præteritas quædam sunt falsæ, Schismatica, Hæretica, fidei Christiana & Religionis Catholica regulas impugnant, ac denique Regis regnique salutis contraria. Rei hujusce veritas ex citata Cleri Censura patescit. Non est cur Galliarum Episcopi gratias agant editoribus novorum Monumentorum Cleri, qui in ultima editio-  
ne hoc, quod citavimus, Monumentum Prædecessoribus suis gloriosissimum suppresserunt.

§. III.

*Difficultas determinandi in quo præcisè Gallicanæ libertates consistant, ab usum earumdem faciliorem reddit.*

**D**E libertatibus suis loquuntur Galli omnes: in quo sitæ sint, explicat nemo, paucique præstare id possent. Materix per se  
F 4                      obscuræ